2. de sancta Maria.

SUmptis, Dómine, salútis nostrae subsídiis : da, quaésumus, beátae Maríae semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne haec tuae obtúlimus majestáti.

3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 251.

AD VESPERAS.

*Ant.* Allelúia. *Ps.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica*, 218.

Capitulum. *1. Petr. 2. d.*

CArissimi : Christus passus est pro nobis, † vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.

*Hymnus.* Ad régias Agni dápes. 698, *vel* 700. ℣. Máne nobíscum. 702.

Ad Magnif. Ant. 3. a (*mi-do*)




*Cant.* Magníficat. 3. a. 200. — *Oratio.* Deus, qui in Fílii. 703.
*Deinde fit commemoratio de Cruce*, 228.

# Dominica III. post Pascha.

AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)

Intr. 8. (*sol-do*)









Oratio.

DEus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiae, veritátis tuae lumen osténdis : † da cunctis qui christiána professióne censéntur, et illa respúere quae huic inimíca sunt nómini; * et ea quae sunt apta sectári. Per Dóminum.

2. *de S. Maria*, 703. — 3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 247.

Lectio Epistolae beati Petri Apostoli. *1 Petr. 2. b.*

CArissimi : Obsecro vos tamquam ádvenas et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quae mílitant advérsus ánimam, conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam : ut in eo, quod detréctant de vobis tamquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, glorificent Deum in die visitatiónis. Subjécti ígitur estóte omni humánae creatúrae propter Deum : sive regi quasi praecelléntí : sive dúcibus tamquam ab eo missis ad vindíctam malefactórum, laudem vero bonórum : quia sic est volúntas Dei, ut benefaciéntes obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam : quasi líberi, et non quasi velámen habéntes malítiae libertátem, sed sicut servi Dei. Omnes honoráte : fraternitátem dilígite : Deum timéte : regem honorificáte. Servi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantum bonis et modéstis, sed étiam dýscolis. Haec est enim grátia : in Christo Jesu Dómino nostro.

(M.M. ♪ = 160.)

2. (*ré-fa*)










✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Joann. 16. b.*

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Módicum, et jam non vidébitis me : et íterum módicum, et vidébitis me : quia vado ad Patrem. Dixérunt ergo ex discípulis ejus ad ínvicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Módicum, et non vidébitis me : et íterum módicum, et vidébitis me, et quia vado ad Patrem? Dicébant ergo : Quid est hoc, quod dicit, Módicum? nescímus quid lóquitur. Cognóvit autem Jesus, quia volébant eum interrogáre, et dixit eis : De hoc quaéritis inter vos quia dixi, Módicum, et non vidébitis me : et íterum módicum, et vidébitis me. Amen, amen dico vobis : quia plorábitis, et flébitis vos, mundus autem gaudébit : vos autem contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúrae propter gáudium : quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum : et gáudium vestrum nemo tollet a vobis. Credo.




### Secreta.

His nobis Dómine mystériis conferántur, quo terréna desidéria mitigántes, discámus amáre caeléstia. Per Dóminum.

2. *de S. Maria*, 705. — 3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 250.

(M.M. ♪ = 160.)
Comm. 8. (sol-do)




### Postcommunio.

SAcraménta quae súmpsimus, quaésumus Dómine: et spirituálibus nos instáurent aliméntis; et corporálibus tueántur auxíliis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

2. *de S. Maria*, 706. — 3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 251.

## AD VESPERAS.

*Ant.* Allelúia. *Ps.* Dixit Dóminus. *cum reliquis de Dominica*, 218.

Capitulum. *1. Petr. 2. c.*

CArissimi: Obsecro vos tamquam ádvenas et peregrínos, † abstinére vos a carnálibus desidériis, * quae mílitant advérsus ánimam.

*Hymnus.* Ad régias Agni dápes. 698, *vel* 700. ℣. Máne nobíscum. 702.

Ad Magnif. Ant. 8. G (sol-do)




*Cant.* Magníficat. 8. G. 204. — *Oratio.* Deus, qui errántibus. 707.
*Commemoratio de Cruce*, 223.



# Dominica IV. post Pascha.

## AD MISSAM.

(M.M. ♪ = 152.)
Intr. 6. (fa-la)




### Oratio.

DEus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis: † da pópulis tuis id amáre quod praécipis, id desideráre quod promittis; * ut inter mundánas varietátes, ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

2. *de S. Maria*, 703. — 3. *pro Ecclesia vel pro Papa*, 247.

### Lectio Epistolae beati Jacobi Apostoli. *Jac. 1. c.*

CArissimi: Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúrae ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum: tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim